Exuperium, Synodi Romanæ sub Gelasio; & deinceps apud omnes probatur, utì Cassiodorum, Rabanum Maurum, S. Isidorum Hispalensem, & in decreto Unionis sub Eugenio IV. ac tandem in Concilio Tridentino Sess. 4.

Quod ad Judæos spectat, hæc de illis refert S. Hieronymus (*p*): *Quem Hebræi de Catalogo Divinarum Scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorant, manciparunt*. Lectum ab illis Tobiam Hebraicè, id est Chaldaicè, Origenem in Epist. ad Africanum tradidisse, supra retulimus. Summè tandem Opus illud à Judæis observatum & tanquam veram historiam habitum dubitaverit nemo (*q*). Nec sanè nisi veræ historiæ colorem exhibet sivè narrationis contextus, sivè digerendæ illius ratio; si enim tota rejiciendi alicujus Operis causa habendum esset mirum aliquid & prodigiosum factum, quod in historia occurreret; quis, rogo, Sacer Liber admitteretur? Plura sunt, fateor, in Libro Tobiæ ardua; sed in quo non? Singula nos in decursu Commentarii explicare pro viribus studuimus. Postquam nomina propria personarum, locorum, temporum ratio, atque sexcenta alia veram historiam produnt, frustrà quis invidiam in illam crearit; nec citra infamiæ in Scripturam irrogatæ notam, non veram historiam, sed fabellam prodi assereretur.

p *Epist. ad Chromat. & Heliod.*

q *Grot. Præfat. in Tob. Sixt. Senens. Biblioth. lib.8.*

DISSERTATIO

IN DÆMONEM ASMODÆUM.

CUM sæpè adeò in Scriptura de bonis malisque Angelis, eorumque per visum objectâ specie, gestis prodigiisque mentio recurrat, mirari subit cur rarus admodum in illâ sermo habeatur de dotibus, viribus, gloriâ, agendi potestate, sicut & ratione qua Spiritus illi, nobilissimum Dei producentis opus, sese cæteris communicant. Quidquid autem eâ de re in Sacris Libris occurrit, ad tria potissimùm capita revocandum est: Dari nimirum bonos malosque Spiritus: Illos qua semel in creatione donati sunt gratiâ retentâ, Creatori pariter suo morigeros se præbentes destinatâ sibi gloriâ frui: Hos verò typho superbiæ inflatos è loco suo excidisse, & in tartara detrusos acerbissimas ambitionis suæ pœnas dare; furorem quin etiam suum in miseros mortales exercere, nullamque omittere artem, quò nos eodem unà supplicio obvolvant. Tandem bonos Angelos beneficiis & gratiis Divinis ad nos deferendis ministros esse destinatos; sicut & Dæmones Divinæ se ultionis & justitiæ exequutores impendere. Inter Dæmones verò & Angelos eam constitui politiam, cujus tamen leges ignorantur, qua alter alteri subdatur; agere pariter utrosque in corpora & in spiritus subtiliori quadam ratione, quam ne mente quidem assequi, nedum verbis effari valemus: Singulis Regnis, quin & singulis hominibus suos esse Angelos Præsides, qui nostris rebus & conservationi advigilant; illud potissimùm adnitentes, ut salutem nobis procurent, modò ne quid obstaculi Divinis à se delatis gratiis per nos, pervicaciùs malo inhærentes, ponatur.

Sed in iis etiam quę Deo revelante novimus, quot sanè obscura, quot tenebris obsita? Angeli & Dęmones nunquam fermè nisi corpore aliquo constantes exhibentur. Quæ insuper de illis narrantur historiolę, parabolę veriùs quàm genuinę historię saporem plerumque habere videntur. Si quis enim historiam pellectæ ad crimen Evę, sicut & alteram Angeli minitantis necem asino Balaami; Dęmonis Asmodęi de quo in pręsentiarum: Dęmonis Jesum Christum in deserto tentantis; ac tandem Jobi tentatione probati; si quis, inquam, eas omnes historias sedulò perpenderit, nonne augeri potiùs scrupulos & dubitationes, quàm depelli ignorantiam sentiet? Id egisse Deus videtur, ut angustioribus terminis humanę curiositati pręscriptis, ab eorum cognitione nos revocaret, quę impunè prorsùs ignorarentur, ut scilicet totam mentis intentionem rebus majoris momenti & nostræ utilitati magis conducentibus impenderemus.

Nec sanè multum in exploranda Angelorum naturâ Judęi olim ante captivitatem studii contulerunt. Nullum etiam ad eam usque ętatem illis impendisse cultum sivè legitimum, sive superstitiosum legimus; quin ne nomina quidem illis tribuere norant. Quę enim deinde collata sunt Angelis nomina, ipsis fatentibus de se Judęis, non Hebręi ipsi per se excogitarunt, sed è Chaldęorum disciplina discentes, usurpata voluerunt nomina Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis; sicut & ex eodem fonte septem Angeli Principes Throno Dei adsistentes derivati sunt. Neque plus aliquid de malis Angelis norant; nomen enim *Satan*, quod alicubi occurrit, nonnisi *adversarium* significat; & *Beel-sebub* peculiaris Idoli nomen est. Apud Isaiam 14. 12. sermo de est de Lucifero; sed eo nomine matutinum sidus nuncupatum, nec nisi figuratâ quadam locutione ad Dęmonem translatum est. Primum omnium mali Angeli nomen Asmodęus occurrit; quamquam & dubitationis locus est, an peculiare aliquod Dęmonis nomen voce illâ designetur; potest

est enim Tobię locus 3. 8. reddi, *Dęmon exterminator*, cum in Vulgata habeatur: *Dæmonium nomine Asmodęus occiderat eos*. Fateamur tamen oportet, receptum in Vulgata sensum proniorem esse & maximè ad literam Textûs, si Asmodęus pro singulari Dęmonis alicujus nomine usurpetur. Græcus legit: *Asmodęus malus Dæmon*: S. Prosper (*a*) *Asmodæum nequissimum*; Hebręus Munsteri: *Asmodai Rex Dæmonum* (*b*).

Inter varias nominis *Asmodęus* etymologias hęc jure meritoque seligenda est, quę vocem derivat ex *Scamad* (*c*), destruere, exterminare, perdere, desolare; quę sanè ejusdem vocis significationes omnes quadrant cum Dæmone id potissimum intendente, ut animas omnes perdat, virtutis & pietatis opera destruat, proba etiam consilia summoveat omnia, uno verbo in partem glorię & honoris ducente, si quos potuerit criminibus & sceleribus implicare, fusdeque omnem mundi œconomiam vertere. S. Joannes in Apoc. 9. 11. meminit Dęmonis, cui nomen in Hebręo *Abdon*, in Greco *Apolluon*, in Latino *Exterminans*. Angelus iste exterminans ultionem Domini in Ægyptum intulisse, excusso decem plagarum flagello, creditur (*d*); eodemque gladium stringente animadversum ferunt in Israelitas, perduellionis & murmuris reos in deserto (*e*); quemadmodum & ejus gladio exercitum Sennacherib in Palęstinis agris deletum (*f*). Ecquis alius persecutores Ecclesię in Fideles animavit; quis Hęreticos & impios, ut pravis dogmatibus Fidei sanctitatem corrumpant, incitavit, & nunc etiam incitat?

Cum verò nomen Exterminans equè omnibus malis Angelis commune esse potuerit; adhuc quęstioni locus est, quinam Angelus ille malus, qui Saram obsidebat, gravisque institit septem viris ad puellę thalamum accedentibus? Scitum est enim plures esse, nec unius generis, Dęmones (*g*); horum enim alii primas inter suos obtinent; alii subiectorum jure serviunt. Sunt qui avaritiæ, sunt qui ebrietati, licentiæ, gulæ præsideant. Illis cura est, ut futurorum Oracula procudant venditentque; illi tentandis hominibus graves instant; illi mali hospites hominibus insident. Non desunt, qui morbos excitent; & eam de illis opinionem habere Judæos in Evangelio intelligimus, ut morbos ferè omnes Dęmonibus ferant accepto. Tandem vulgò creditur, Dæmonum aliquos aerem obsidere, alios deserta, alios Provincias, & Regna. Quis ergo Dæmon Asmodæus?

Hebræum, supra à nobis laudatum, *Regis Dæmonum* titulo illum distinguit, sed inter malos illos Angelos Regis titulus multis communis est. Christum in *Beelsebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia* Judæi spargebant in vulgus (*h*). S. Hieronymus in Habac. 3. Principem Dæmonum ex doctrina Hebræorum *Rescheph* appellat; sonat autem vox prunas, scintillas, sagittam, quæ omnia cum Diabolo, sivè illius expedita in omnibus agendi ratio, sive diræ in illum à Deo pronunciatæ post pellectam ad crimen Evam respiciantur, optimè quadrant. Eundem Dęmonum Principem S. Chrysostomus appellat *Satbael*, ac si diceretur, qui terga Deo tamquam inviso vertit (*i*).

S. Joannes in Apoc. 12. 9. pluribus illum suggillat, utì *Draconis magni, serpentis antiqui, Diaboli, Sathanæ, qui seducit universum orbem*. Apud Job. 1. 6. & Matt. 4. 10. *Sathan* vocatur, quo nomine nihil aptius alto in illo odio adversus homines & veritatem exprimendo; sonat enim hostis, adversarius, calumniator; in quam etiam significationem convenit vox Græca *Diabolos*, quæ adversarium injustum, & sycophantam, calumniatorem exprimit. Depingitur 1. Petri 5. 8. veluti Leo rugiens undique pererrans, ut prædam aliquam, quam voret, nanciscatur. Tandem non semel Principi Dæmoniorum nomen tributum est *Lucifer* (*k*). Sunt qui credant, Asmodæum Principem esse Dæmonum Mediæ, quâ in regione suam exerceret potestatem; quemadmodum Dæmon ille apud Dan. 10. 13. Persidi imperans S. Michaeli populi Dei patrono aliquantùm restitit. Sanè nomen Asmodæus derivari potest ex Hebræo *Esch-Madai*, ignis Mediæ, impuras enim flammas fovet. Natus est ex Rabbinorum doctrina ex connubio Noemæ sororis Tubalcain cum Simron: ipsissimus est Simron cum Sammael, de quo in Targum ad cap. 28. Job. Docent insuper Talmudistæ, Asmodæum super Dæmones universos principem locum tenere (*l*).

Quæ tamen opinio præ cæteris probatur Asmodæum libidinis Dæmonem constituit; an verò Regem supra cęteros Dęmones agat, quod cum Hebręis affirmemus nihil est, cum in sacra Scriptura id muneris egisse legatur, quod facilè inferior quisque Dęmon obire potuisset. Namque permissâ à Deo potestate, quicumque procaciores ad Sarę thalamum accederent, illos neci tradebat; nihil tamen habebat virium in honestissimam probamque puellam, atque invitus reluctansque, quin & rei exitum ignorans, in felicitatem illius, sicut & Tobię, etiam atque etiam conferebat. Nimirum ambo illi morum affinitate sese invicem reposcebant; quos proinde alto providentię suo consilio respiciens Deus, neminem alterum ad puellę thorum accedere permisit, quam inviolatam lectissimo coniugi reservabat.

Hujus necis causam omnem Raphael ipse juveni Tobiæ, Tob. 6. 17. aperuit: *Ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest Dęmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem Dęmonium super eos*. Nec Sara aliter suspicata est, Tob. 3. 19. *Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni*. Ita planè; neque enim digni erant eo coniugio brutales viri; quamquam non ea sola fuit eorum necis ratio, nisi etiam procacioris libidinis crimen ultionem in ipsos Divinam provocasset.

a *Prosper. de Promissis par. 2. cap. 39. Ad quæ Asmodæum Dæmonium nequissimum expulit.*

b *Hebr. Munst.*

c *In Niphil.*

d *Exod. 8. 9. 10. 11. & Sap. 11.*

e *1. Cor. 10. 10. & Judith. 8. 24. 25. Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.*

f *4. Reg. 19. 35.*

g Vide si placet *1. Cor. 15. 24. Cum evacuaverit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem. Et Abb. Seren. apud Cassianum Collat. 8. cap. 14. & Serar. ad Tobiam 3. qu. 4. Origen. contra Cels. lib. 8.*

h *Matt. 9. 34. & 12. 24. Marc. 3. 22. Luc. 11. 15.*

i *S. Chrys. Hom. de lapsu primi hom.*

k *Isai. 14. 12.*

l Vide si lubet *Serar. quæs. 9. Etiam Levit. in Thesbi, Targum in Job. 28. & in Eccle. 1. 1.*